MASTER NEGATIVE NO. 91-80313-17

AUTHOR:

MULLER, LUCIAN

TITLE:

LUCIANI MUELLERI LECTIONES HORATIANAE

PLACE:

[ST. PETERSBOURG]

DATE:

1874

Master Negative #
91-80313-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Müller, Lucian, 1836-1898.
...Luciani Muelleri Lectiones Horatianae.
p.[688]-718. 23 cm.

From "Mélanges gréco-romains tirés du Bulletin de l'Académie impériale des sciences de St.-Pétersbourg, t. III."

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-28-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

No. 14

MÉLANGES GRÉCO-ROMAINS

TIRÉS DU

BULLETIN DE L'ACADÉMIE IMPÉRIALE DES SCIENCES

DE ST.-PÉTERSBOURG.

TOME III.

$\frac{11}{23}$ Décembre 1873.

1836-98

LUCIANI MUELLERI

LECTIONES HORATIANAE.

Teubnerus bibliopola Lipsiensis cum me monuisset, ut novam Horatii recensionem instaurarem, quae, elegantia potissimum et nitore conspicua, omissa mole apparatus critici nihil paene exhiberet, quam ipsa verba Horatii, quam posset fieri maxime emendata, equidem libenter sum usus occasione oblata plura quaedam in Horatii librorum scriptura tradita novandi, quam licuerat in editione stereotypa, quae saepius posthac typis repetita primum prodiit 1869. Ab hac enim, ut quae scholarum usibus maxime esset commodanda, maiorem mutandi ea, quae vulgo essent recepta, audaciam alienam esse debere existimavi, contentus aliquanto plura, quam quae in textum receperam, hominum doctorum inventa commendasse in prolegomenis. At minor illa editio cum destinata esset usibus hominum liberaliter eruditorum, qui poëtae suavissimi et vel hodie maxime popularis carmina vellent legere nullo usi adiutore nisi propria latini sermonis peritia, non placuit eadem, qua antea usus fueram, anxietate observari apices codicum: ita tamen, ut quae sine membranarum auctoritate novassem

in summo libello legerentur enotata. Cui etiam lectorum in commodum adiecimus vitam Horatii a Suetonio conscriptam indicemque carminum ac metrorum conspectum. — Eorum autem quae novavimus in hac recensione praeter leviora reddere rationes liceat hoc loco. Omisi tamen omnia ea, de quibus vel in Bentleii ac Peerlcampii recensionibus vel in Meinekii ac priore nostra satis esse disputatum videretur.

Sed antequam singula tractentur, qua ubique usus sim norma iudicandi in immutanda lectione tradita breviter declarabo.

Equidem ut alienam esse volui editionem meam ab immani illa mutandi turbandique omnia audacia, qua multos usos fuisse videmus nuper in Germania, maxime Lehrsium, Ribbeckium, Gruppium, non magis probavi nimiam Hauptii verecundiam, qui in editione ejus, quae a me paratur, externa specie simillima adeo contempsit criticorum inventa, ut mendosissima haud pauca ne signo quidem corruptelae addito relinqueret intacta.

De interpolationibus lyricorum Horatii carminum cum hodieque diversissimum in modum statuant homines docti, ego quid iudicarem iam ante hos decem annos annalium philologicorum anni 1863 pgg. 176—184 plenissime indicavi. De eadem re pauciora quaedam monui in libro, quo classicorum studiorum fata apud Nederlandos enarravi, pgg. 113 sqq. Itaque ne eadem recoquam sine usu ullo, satis erit annotasse eos, qui cognoscere voluerint rationes meas, facile inventuros in scriptis, quae dixi.

Satis quidem constat inter eruditos, cum quattuor

potissimum generibus constent lyrica Horatii carmina, symposiacis, eroticis, ethicis, politicis, plurimum labis traxisse eas partes, quibus maiores assumit spiritus poëta, non hercule sine ipsius quadam culpa. Nempe quod saepius asserit Flaccus se levioribus potissimum carminibus, quibus convivia et amores celebrentur, idoneum esse scribendis, non eis quae melius epicorum gravitati aut cothurno tragico aptentur, id omnino verissimum esse statuo, quanquam et olim multis et nunc nonnullis doctorum aliter visum est. Itaque carmina, qualia sunt prima sex libri tertii, etsi multas habent sententias praeclaras communique adeo hominum elegantium usu receptas, tamen haud raro, elanguescente spiritu poëtico, et sermone sunt difficili et contorto (cf. Quint. I, 8, 6) et instructa ac paene dixerim munita eruditionis historicae ac mythologicae mole quadam, quali satis constat admodum delectatos fuisse poëtas Alexandrinos et imitatione horum ductos latinos a Catullo inde plerosque. Cuius rei exemplum luculentissimum est Propertius elegiarum auctor, qui nisi ingentem eruditionis apparatum, quo carminum magnam partem obruit, compensaret virtutibus poëticis, esset sane non modo difficillimus sed etiam iniucundissimus ad legendum. Modestius sua utitur doctrina Horatius, quae tamen ipsa causa exstitit, cur carmina, quae a primo inde p. Chr. saeculo legerentur in scholis, a grammaticis inquinarentur interpolationibus. Horum quae fuerint studia in tractandis poëtis, apte exponit Seneca philosophus epistula ad Lucilium 88, 3: «Grammaticus circa curam sermonis versatur et, si latius evagari vult, circa historias, iam ut longissime fines suos pro-

ferat, circa carmina.» De eadem re plenissime dixit Peerlcampius praefat. carm. Hor. ed. pgg. XIV—XXI.

Et sane quidquid interpolationum invenitur in lyricis Horatii, ita ortum est, ut grammatici aut adderent aptis exemplis e mythologia vel historia petitis minus apta aut variarent sententias novis sensibus, sed qui verbis tantum distarent. Illud tamen mordicus tenendum est, quicunque versus spurii accesserunt his carminibus, eos irrepsisse primis sexaginta vel septuaginta post Horatii mortem annis. Et satis constat Valerium Probum grammaticum, qui floruit sub Claudio et Nerone, annotasse in Horatii libris versus insiticios. Etenim neque Quintilianus, qui fuit sub Domitiano, et multo minus posteriores videntur esse usi exemplaribus Horatii, quae carerent interpolationibus istis. Neque ea res potest esse mira, cum grammaticorum studia, quae ut profuerunt plurimum auctoribus, qui ab eis tractarentur, ita nocuerunt aliquando eisdem, Augusti potissimum et sequentium ad Neronem usque imperatorum temporibus sciamus floruisse, eadem ut industria non modo antiquissimorum latini sermonis scriptorum, sed etiam eorum, qui a Sullae morte usque ad Augusti fuerunt, legerentur et explicarentur libri.

Multo minus grassata est interpolatorum licentia in saturis et epistulis, quae quidem in scholis puerorum minus sunt lectitatae per ipsam antiquitatem quam per medium, quod dicimus vulgo, aevum. Praeterea cum ipse Horatius carminibus hisce, quae felicissimo Apolline sunt condita, insereret multo pauciora doctrinae mythologicae vel historicae specimina, quam lyricis, et sermone uteretur in eisdem multo minus

difficili, qui non ita multum distaret ab eo, quo solebant homines urbani et liberaliter eruditi uti in circulis cotidianis, non erat cur grammatici saepius additamentis propriis explicarent ista scripta et, ut ipsi credebant, corrigerent. Itaque paucos admodum versus notavi, qui mihi quidem viderentur spurii, maxime tales, ubi brevitas sermonis Horatiani et concisum genus dicendi praeberet ansam interpolatoribus adiciendi, quibus videretur apte posse suppleri oratio. Horum versuum majorem partem commonstravit mihi Augustus Nauckius, qui et alia quaedam suspectabat, de quibus ipsum aliquando dicturum esse speramus.

Hactenus de interpolationibus. At verborum mutationes sine librorum auctoritate factae, quamquam a diversis, ut res fert ipsa, venere auctoribus, nullius tamen inventis saepius sum usus quam Richardi Bentleii, qui qua fuerit ingenii et altitudine et subtilitate, quo saepius Horatium lectitamus, eo magis introspicitur. Ceterum quamquam nullus est auctor antiquitatis, qui plures Horatio expertus sit criticorum conatus, manserunt tamen versus haud pauci, quibus equidem medicinam adferri posse desperem. Quorum plurimos in editione nostra invenies notatos asterisco.

His expositis nihil obstat, quin potissima, quae novari in recensione nostra ex re visum est, breviter percurramus.

C. I, 2, 21, 22:

audiet cives acuisse ferrum,
quo graves Persae melius perirent.

Primus intellexit Peerlcampius nullo modo posse omitti id, in quo summa versatur sententiae, quod cives

acuerint ferrum contra semet ipsos. Et hic quidem ut permulta alia in hoc carmine etiam hos versus ab Horatio existimavit alienos. Equidem, cum esset persuasum, non tam gravi indigere locum remedio, conieceram olim scribendum *cecidisse ferro*, et sane tali opus esse sententia assensi mihi sunt plerique. Sed quia quod inveneram longius videretur recedere a scriptura tradita, Jeepius ann. philol. a. 1870 pg. 78 statuit reponendum esse *rapuisse ferrum*, idque ipsum commendavit Madvigius Adversariorum Criticorum II, 53. Sed probabilius invento utroque mihi iam videtur Baehrensii nostri inventum, qui ann. philol. a. 1872 pg. 47 asseruit ab Horatio venisse: *audiet cives iacuisse ferro*, quae quam facile potuerint mutari eis, quae leguntur in codicibus Horatii satis apparet.

Iacendi vocabulum, plane ut *pereundi*, adhiberi passim pro eo quod est *occidi* aptis comprobavit exemplis Baehrensius l. m., qui simul statuit non sine probabilitate Statio obversata esse Horatiana ista cum haec scriberet (Theb. I, 429, 30):

meliusque hostilibus armis
lugendus fratri, iuvenis Thebane, iaceres.

I, 6, 1, 2:

scriberis Vario fortis et hostium
victor Maeonii carminis aliti.

Scripsi ex Passeratii coniectura *aliti* pro *alite*, quoniam ablativi sine praepositione *a* coniuncti passivis, quando de animantibus agitur, excepto ubi ea instrumenti, plane vita expertis, vice funguntur exempla satis certa non suppetunt. Nam ap. Ov. her. 21, 180 scribendum

est *aque tua est nostra spreta parente parens*, ap. eundem am. I, 15, 38 *aque ita sollicito multus amante legar*, non *atque;* eadem audacia qua dictum est her. 19, 148 *a tibi suspecto ducit Ulixe genus.* — Vereor tamen ne altius in Hor. loco lateat vitium, quoniam *ales* (i. e. *cygnus*) *Maeonii carminis* satis mirifice et sine exemplo apto dicitur. Et omnia quidem in aperto erunt posita, si scripseris *aemulo* pro *aliti*, ut tamen non audeam coniectandi talem licentiam in Horatii libris commendare.

I, 20, 9 sqq.:

caecubum et prelo domitam caleno
tu bibes uvam: mea nec falernae
temperant vites neque formiani
pocula colles.

Totum carmen hoc ut inter minutissima, inter difficillima Horatii merito habetur. Et fuerunt, qui totum abiudicarent ab Horatio. Equidem integra carmina ab interpolatoribus adiecta esse lyricis nondum potui animo meo persuadere. Quantum ad versus, qui supra sunt adscripti, pridem est intellectum corrupta esse illa *tu bibes uvam* (in quibus nonnulli codices exhibent violato metro *bibis*). Nec enim ullo pacto potuit Horatius promittere Maecenati, fore ut Tiburi pretiosissima vina caecubum et calenum biberet, id quod et ex praecedentibus verbis, nec minus ex insequentibus apparet. Itaque alii doctorum cum ad pericula interpretandi quam maxime mirifica confugissent, quae memorare nihil attinet, Doederlinius coniecit scribendum *tum bibes* (quod ipsum exhiberi a Porphyrione comment. ad serm. II, 2, 48 affirmat Kellerus); idque ego

probaveram (ut et ante me Meinekius) in editione stereotypa. Nunc tamen mutavi sententiam, inductus rationibus eis, quibus impugnat hanc lectionem Gustavus Kruegerus Musei Rhenani XXV, 633. Iam cum recte hic statuerit aegre nos carere posse pronomine *tu* propter sequens, quod ei opponitur, *mea:* concedendum videtur eidem latere mendam in sequente verbo, pro quo ipse vult substitui *liques.* Atque hoc ut in loco desperato duxi recipiendum, cum et sensum idoneum praebeat, nec nimis sit remotum a scriptura tradita. Monet igitur Horatius Maecenatem, domi ut iubeat liquari sibi vina pretiosiora quam quae praebere possit amici tenuitas. Ut hic *liques uvam*, similiter 11, 7 dixit Horatius *vina liques.* — Probavit nuperrime (m. Rhen. XXVIII, 633), sed ut aliter explicaret, Kruegeri inventum etiam Teuffelius.

In eodem carmine (v. 5), ut obiter hoc moneam, quod demonstravit Bentleius scribendum esse *clare Maecenas eques*, potuit prodesse doctis, ut agnoscerent in carmine de Maecenatis obitu altero v. 27 ita esse distinguendum, ut post *care* interpungeretur, non post *senex.*

I, 22, 13—16.

Hos versus post diutinas meditationes dubitationesque seclusi a verbis Horatianis, rationibus fere eisdem permotus, quas proposuit Peerlcampius. Neque erat hercule, cur atrocitatem lupi sibi oblati tanto verborum strepitu persequeretur Horatius, cum huius beluae ut infestissimae rapacissimaque et ipse et alii scriptores latini saepe iniciant mentionem nullis additis ambagibus.

I, 32, 14 sqq.

o laborum
Dulce lenimen medicumque, salve
Rite vocanti!

Etsi minime me fugit mirificum videri posse plerisque, qui factum sit ut verbum tam simplex *medicumque* corrumperetur in absona illa *mihi cumque*, probavi Lachmanni inventum, quod praestat certe reliquis commentis, quae prolata sunt ad hunc locum, omnibus, maxime ei quod nuperrime vulgavit Madvigius advers. crit. II p. 54:

mihi iunge «salve«
rite vocanti.

Quae quidem ita explicari vult: «mutuo sibi *salve* reddi a testudine vult, ut canendi socias partes tueantur». Vix credo fore, cui hoc commentum probetur. Sed quod negat idem potuisse addi ad imperativum «salve» «mihi rite vocanti» ut sit «salve» idem quod «fave» et «ades», prorsus fallitur. Nam cum ad salutandi formulam haud dubie addatur dativus (velut XI, 97 Aen., ut apud Graecos saepius invenitur χαῖρέ μοι), multo magis potuit adici ad idem vocabulum quando significat «fave», ut et Horatii in versu nec raro alibi. Ceterum in participio inesse sensum condicionalem facile apparet. Data occasione notabo ex eis, quae in advers. crit. libris protulit Madvigius ad emendandum explicandumque Horatium pertinentia, mihi quidem vix quidquam probari. Omnino vir ille cum de pedestribus scriptoribus latinis, maxime Cicerone et historicis, egregium sit in modum meritus, aliquanto minus peritum se

praebuit poëtarum, de qua re alibi accuratius dicendi erit locus.

II, 4, 9—12.

Seclusi hos versus Peerlcampio obsecutus, qui quanquam eos suspectavit rationibus usus partim leviculis partim falsis (veluti quod incusat illa *ademptus Hector tradidit fessis leviora tolli Pergama Grais*, fugit eum haec quam maxime dicta esse more sermonis latini, qui amat substantivis verbalibus substituere participia, ut legitur apud Tacitum ann. I, 8: *cum occisus dictator Caesar aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videretur*), tamen non poterit negari concinnitatem omnem tolli sententiarum, si ad tertium exemplum e fabulis petitum servae a domino dilectae tam longae adiciantur ambages, quibus prorsus careant praecedentia duo. Itaque satis mihi constat additam esse hanc stropham ab interpolatore, qui, ut nonnunquam factum esse supra dixi, brevitati poëtae neque nimiae neque ineleganti vellet consultum. Ceterum cum interpolationes carminum lyricorum proximis post Horatii mortem lustris provenisse supra memorarim, non poterit esse mirum inveniri in eisdem, quae neque dictionum neque metrorum inelegantia, sed sola sensuum pravitate coarguantur. Nam grammaticos istos, qui triverant vitam in legendis poëtis, et ipsos versuum pangendorum minime fuisse imperitos multis constat exemplis, ut Palaemonem Claudii imperatoris aequalem testatur Suetonius (de gramm. 23) scripsisse variis nec vulgaribus metris.

III, 4, 9 sq.:

me fabulosae Volture in apulo
altricis extra limina pergulae.

In codicibus est *limen Apuliae*. Tradita lectio quot doctorum coniecturis sit temptata, dicere non attinet. Ego quod posui, excogitavit Baehrensius; cuius inventum etsi non ab omni parte tutum certe reliquis multo est praestantius. Nam illa *limina pgulae* quam facile potuerint abire in scripturam antiquitus traditam nemo non videt. *Pergula* saepius ponitur pro *casa* vel *tugurio*, ut ap. Prop. V, 5, 68 *horruit algenti pergula curta foco.*

Insignem autem in modum facit ad commendandam coniecturam Baehrensii, quod scribit falsus Acro ad v. 19: *sacra dixit etiam propter se, quod parvus extra casae limen expositus lauro myrtoque columbis deferentibus tectus sit.*

III, 24, 36 sqq.:

si neque fervidis
pars inclusa caloribus
mundi nec Boreae finitimum latus
durataeque solo nives
mercatorem abigunt.

Illud *solo* plane supervacaneum esse et inportunum post Bentleii disputationem qui iterum comprobare voluerit, ne ille actam rem agere merito dicetur. Sed quod idem proposuit scribendum *gelu*, quantumvis subtili et erudita dissertatione munitum illud, mihi quidem non probatur. Nam et languidum satis et satis a scriptura tradita apparet esse remotum. Itaque re-

cepi coniecturam, quam a me inventam occupasse iam video testante Peerlcampio hominem quendam doctum Batavum in actis societatis Traiectinae *durataeque polo nives.* Et poterit *polo* perinde duplici accipi modo, ut aut loci sit ablativus pro eo quod est *in regione polari* aut instrumenti, ut *polus* sit *stella polaris frigusque ab ea veniens*, sicuti dixit Hor. c. II, 15, 14 sqq. *nulla — opacam porticus excipiebat Arcton.*

III, 29, 5 sqq.:

eripe te morae,
ne semper udum Tibur et Aefulae
declive contempnatur arvum et
Telegoni iuga parricidae.

Ita ipse de coniectura refinxi hunc locum. Offenderunt critici primum in particula *ne*, pro qua crasso usi invento cum Peerlcampius *ut*, Lachmannus *hic* substituissent, Meinekius existimavit fortasse retineri posse *ne* ita, ut pendere diceretur a *morae.* Concedo id potuisse fieri salva latinitate, nego ita multum profici. Quid enim fiet sequenti adverbio? Namque id nullo modo coniungi posse cum verbo *contempleris* apparebit ei, qui et legerit initium carminis huius et Horatii rei familiaris tenuitatem respexerit. Nec magis *semper* poterit iungi cum *udum.* Etenim quod apponitur saepe adverbium illud ad adiectiva, facit id omnino ad vim sententiae augendam, ut legitur apud Lucretium *semper florentis Homeri* et apud Horatium *alterum in lustrum meliusque semper prorogat aevum.* Quid autem mirum Tibur in Italia positum, non in regione septentrionali sicut nos, aquis frequentibus irrigari (id enim significat *udum*) per totum annum? Apparet,

opinor, prorsus inutiliter et inepte adeo adici *semper*, quod vocabulum omnino est iungendum cum *contempleris*. In quo quidem ipso verbo latere corruptelam ego vehementer affirmo. Id enim non esse aptum, vel si eodem, quo Meinekius voluit, modo adhibita esse statueretur particula *ne*, iam supra est expositum. Nam quod fuerunt, qui crederent, dici Maecenatem contemplari Tibur non praesentem, sed ex turri sua, quae erat Romae, non sunt isti digni, ut refellantur. Quod pertinet ad tollendum vitium, gaudebo, si quis meo remedio lenius excogitarit. Interim facile concedetur omnia habere rectissime, si pro *contempleris* reponatur *contempnatur*. Ita dixit Horatius libro primo: *sperne dilectam Cypron*. Quantum ad vocabulum *contempnendi*, ipse Horatius participio utitur in lyricis (III, 16, 25). Eodem vocabulo usi sunt aequales ipsius Vergilius, Tibullus, Propertius, Ovidius. Nam quod ipse Horatius idem in saturis et epistulis, quarum multum a lyricis distat dictio, adhibuit, minus pertinet ad rem nostram. Videtur autem in archetypo codicum Horatii posterior pars verbi *contempnatur*, cum labem aliquam traxisset, a librariis parum prospero Apolline esse suppleta. Similes antiquitus turbas fuisse apparet c. I, 12, 31; III, 14, 11; IV, 6, 17; ep. II, 2, 199; 3, 65 al.

Epod. 8, 17 sq.:

Inliterati num magis nervi rigent,
Minusve languet fascinum?

In codicibus legitur *minus nervi rigent*, quod contrarium esse sententiae, qua Horatius debuit uti, recte intellexerunt docti. Nam de ipsius nervis dici vix erit, qui infitietur. *Rigere* autem nunquam dicuntur languentia membra, sed arrecta. Ob id ipsum pridem reposuimus in priapeo Tibulli altero (v. 42, 43): *recente nervus excubet libidine, et inquietus inguina arrigat tumor*, ubi codices habent *rigente* vel *repente*. Itaque probandum fuit *magis rigent*, quod excogitavit Meinekius. Apparet autem *minus* ex sequente versu irrepsisse.

16, 61, 62.

Hos versus ab eo loco, ubi leguntur, plane alienos recte traiecit post 52 Iohannes Matthias Gesnerus auctore usus homine docto, qui observ. miscell. II, 381 aptum verborum ordinem restituit. Quos tamen nemo secutus est.

Sat. I, 2, 12 sq.:

Fufidius vappae famam timet ac nebulonis
[dives agris, dives positis in faenore nummis].

V. 13 ex arte poëtica, ubi idem legitur 421, irrepsisse in locum alienum pridem iam intellexit Sanadonus, homo Francogallicus. Et omittitur idem a scholiastis, qui quanquam eodem fere, quo nos utimur, Horatii textu usi sunt et ipsi, tamen hic illic, maxime in saturis et epistulis, meliores nostris habuerunt codices.

ib. 33 — 35:

«nam simul ac venas inflavit tecta libido,
huc iuvenes aequumst descendere, non alienas
permolere uxores.»

I, 3, 107 — 110:

nam fuit ante Helenam cunnus deterrima belli
causa, sed ignotis perierunt mortibus illi,

quos venerem incertam rapientes more ferarum
viribus editior caedebat, ut in grege taurus.

Ex quo criticae artis accrevit cura, certatim monuerunt grammatici nihil magis fructuosum ad antiquam et sinceram corruptorum scriptorum formam recuperandam, quam dicendi usus auctorum quam accuratissimam parare notitiam, ut tamen ipsi persaepe praecepti illius prudentissimi essent immemores. Nec enim ulla re in critica factitanda plures gravioresque evenerunt errores, quam spreta lege illa. Ridemus, et merito, eum, qui nuper *simplices* nymphas Horatii (c. II, 8, 14.) mutarit in *complices*, quasi Horatius quinti vel sexti p. Chr. saeculi esset auctor, sed ne Lachmannum quidem et Meinekium in hac parte satis caute versatos esse constat. Ita ille Lucretio *protinus* adverbium, Propertio *tetricus* adiectivum et *vae* interiectionem intulit, hic Horatio adiectivum *festivus*, securus uterque de usu poëtarum. Simillima incuria hactenus omnes editores toleraverant in Flacci scriptis adiectivum *taeter*, quod a nobis iam tandem est expulsum. Equidem iam alias (ad Hor. c. III, 11, 17; ad Prop. I, 16, 38; III, 24, 27) ostendi poëtas latinos plerosque ab Augusti inde tempore timuisse uti hoc vocabulo, ut nimio eodemque antiquato, ut relinquerem tamen saturis Horatii, abiudicarem tantum carminibus. Quorum in uno versu invenitur, III, 11, 19, hoc est in ea stropha, quam spuriam esse omnes, puto, consentiunt praeter eos, qui omnino negant inesse in Horatii scriptis versus insiticios. Dixit de ea nuperrime Heynemannus in libello accurate perscripto de interpolationibus carminum

Horatianorum pg. 29 sq. Praeterea idem adiectivum sine offensione legitur in versu Ennii ab Horatio ad gravitatem epici carminis demonstrandam allato Sat. I, 4, 60, de quo dixi comm. Lucil. pg. 293. At a propriis Horatii scriptis esse alienum accuratius rimanti optimorum codicum testimonia facile apparebit. Ac primum s. I, 2, 33 antiquissimus Bernensis codex (nam ex quattuor Blandiniis praestantissimis fere omnium nihil est notatum a Cruquio) non habet *taetra* sed *tecta* a prima manu, a secunda, si fides Holdero (ni confuso Usenerus, quo et in scholiis Bernensibus Lucani haud raro, modo notandi varietatem lectionis lapsus sit), *taeta*. Ipsum autem illud *tecta* tam dignum Horatio quam indignum *taetra*. Agitur de adolescentibus ad pubertatem provectis, quorum in corporibus nota naturae lege sensim accrescit occultus ille ardor venereus, donec exitum quendam quaerat. De qua re multis dixit Lucretius poëta lib. IV vv. 1037 — 1057. Qui quod ultimo loco, quem attuli, posuit «namque voluptatem praesagit *muta cupido*,» plane idem indicavit, quod Horatius dixit *tectam libidinem*.

S. I, 3, 107 *deterrima* pro *taeterrima* legit primum Porphyrio scholiasta, idem invenitur in codice perbono Monacensi primo a prima manu et in Orvilliano saec. X et, quod maximi est momenti, in Gothano altero, ut quam plurimum habeat probabilitatis non aliud olim exstitisse in Blandinio antiquissimo, e quo ille videtur esse descriptus.

Apparet autem facile adiectivum *taeter* priore loco prorsus alienum esse ab opinione Horatii, quem veneris usum hactenus improbasse, ne in adulteria erum-

peret, sed non ultra, ipsius constat testimonio (Sat. I, 4, 113 sqq.). Etiam secundi loci verbis moderatis plane et ab omni tumore alienis *deterrima* multo melius convenire quam *taeterrima* vix est quod moneam. Tenemus nempe monachos interpolationis manifestos, a quibus saepe scripta veterum immutata esse hactenus, ut odium rerum venerearum declararent, multis potest probari exemplis.

I, 2, 96 — 100:

si interdicta petes, vallo circumdata, nam te
hoc facit insanum, multae tibi tum officient res,
custodes, lectica, ciniflones, parasitae,
ad talos stola demissa et circumdata palla,
plurima, quae invideant pure adparere tibi rem.

Elidi *ae* diphthongum in monosyllabis cum sit durissimum vel in hoc genere carminum, facile concedent homines docti scribendum esse *plurimaque* pro *plurima*, *quae*. Subaudiendum, ut saepe, *alia*. Idem error sublatus nuper a nobis ex Catulli 86, 9; Propertii I, 3, 25. Quamquam siquis dixerit totum versum 100 alienum ab Horatio additumque ab interpolatore, qui aegre ferret longiuscule remotum verbum *officient*, ne hunc quidem a probabilitate aliena afferre existimo.

I, 3, 83 — 86:

quanto hoc furiosius atque
maius peccatumst: paullum deliquit amicus:
[quod nisi concedas, habeare insuavis, acerbus:]
odisti et fugis, ut Rusonem debitor aeris.

Sententia loci totius haec est, ut Horatius hac

quoque in parte ut plurimum secutus Lucilium (cf. Luc. XXVII, 12) dicat in aestimandis amicis mediocria vitia parvi esse facienda eorumque iudicem nimis severum etiam multo esse insaniorem quam qui servum ob delicta levicula in cruce figat. Quae res cum ita se habeat, apparet prorsus sententiam perverti v. 85. Nec enim tam leni castigationi, qualis continetur vocabulis *insuavis* et *acerbus* erat hic locus, sed gravissimae et tali, qualis habetur vv. 80 — 84 et 86. Adiectus est utique v. 85 ab eo, qui aegre ferret asyndeton versus 86.

I, 5, 91, 92:

nam Canusi lapidosus, aquae non ditior urna
[qui locus a forti Diomedest conditus olim.]

V. 92 primus suspectavit Bentleius rationibus usus verissimis, et quibus nec demi quidquam posset nec addi, sed, ut saepe factum est, vix quoquam probante. Opinioni illi non leve praesidium accedere ea re, quod omittitur a scholiastis versus, ipse adnotavit Bentleius.

II, 2, 9 — 16.

leporem sectatus equove
lassus ab indomito vel, si Romana fatigat
militia adsuetum graecari, seu pila velox
molliter austerum studio fallente laborem
seu te discus agit (pete cedentem aera disco),
cum labor extuderit fastidia, siccus inanis
sperne cibum vilem, nisi Hymettia mella Falerno
ne biberis diluta.

Haec qualia in codicibus leguntur plane videntur esse furiosi. Nam neque *austerus* adiectivum satis

idoneum esse apparet, cum seriis Romanorum studiis leviculi Graeculorum opponantur ludi, et ineptissima est parenthesis illa *pete cedentem aera disco*, sive nexum sententiarum interruptum prorsus alienis spectabis, sive verba ipsa *pete cedentem aera*. In manifesto autem vitio nihil probabilius visum est invento Peerlcampii, qui versus 12 et 13 in hunc modum contraxit: *seu te discus agit studio fallente laborem*. Videntur autem prius adiecta esse illa *molliter austerum* ab eo, qui verba *studio fallente* (per amoenitatem) *laborem* parum intellegeret, deinde ea, quae sunt *seu te discus agit*, quoquo modo in versus integri speciem completa.

ib. 2, 29, 30:

carne tamen quamvis distat nil, hac magis illam
inparibus formis deceptum te petere! Esto:

De hoc loco cum plenissime egerim praef. ed. stereot. pgg. 42, 43, breviter hic annotabo repetisse nuper miro casu Madvigium inficetissimum commentum hominis cuiusdam Germanici, qui *magis* non adverbium sed substantivum esse credidit, quo nec alius poëta latinus usus est et Augustei temporis scriptorem potuisse uti propter ea, quae Plinius h. n. XXXIII, 11, 52 notat, minime probabile est. Neque rectius idem scripsit *quam vis* pro *quamvis*, cum utique esset ponendum *quam velis*. Fortasse aliter statuet Madvigius de hoc loco, si legerit, quae supra indicavimus. Cf. etiam quae dixi de eodem actis menstruis Minist. publicae institutionis m. Dec. anni 1873 pgg. 75—79.

II, 3, 288 sqq.:

«Iuppiter, ingentes qui das adimisque dolores,»

mater ait pueri menses iam quinque cubantis,
«frigida si puerum quartana reliquerit, illo
mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus
in Tiberi stabit.» Casus medicusve levarit
aegrum ex praecipiti: mater delira necabit
[in gelida fixum ripa febrimque reducet].

Etiam hic Peerlcampio accidit, quod totiens alias, ut ex parte quidem id quod verum erat intellegeret, sed idem ut immixtis falsis turbaret neque apto ad tollendam difficultatem uteretur remedio.

Nam illud quidem rectissime eum existimo monuisse, hysteronproteron, quod continetur ultimis duobus v. 294 verbis, indignum plane esse Horatio. Nempe ut omnino figura illa apud bonos poetas invenitur rarissime ita minime videtur admitti posse eadem, ubi vim omnem sententiae simul et acumen deperdit. Quis autem negabit sicut summa sententiae mirificum in modum infringitur, antitheton illud, quod est inter *levarit* et *necabit*, misere perire addito versu 294? Sed idem Peerlcampius iniustissime argutatur in verbis *levarit ex praecipiti* dicendo eum qui in loco praecipiti stet *sisti*, non *levari!* Ceterum apparet *ex praecipiti* hoc loco perinde dici de proximo mortis discrimine, ut apud Celsum II, 6 pg. 38 Daremb.: *in praecipiti iam esse denuntiat*. Itaque *levarit* est *liberarit*. — Iam Peerlc. ut vitiosis, quae viderentur ipsi, mederetur, ita contraxit ultima:

casus medicusve levarit,
in gelida fixum ripa delira necabit,

duobus in unum conflatis versibus, quo remedio etsi interdum uti oportet criticos, caute tamen adhiben-

dum idem apparet. Et hercule quem fugit vigorem omnem et claritatem demi orationi recisis eis quae sunt gravissima *aegrum ex praecipiti* et *mater?* Tu vero me auctore tollas versum ultimum, quem adiectum credo ab eo, cui ut brevius ita atrocius aequo viderentur dicta illa *mater delira necabit*, quique simul crederet explicationis indigere verba *in Tiberi stabit.* Satis constat nimirum ablativum loci sive addita sive omissa praepositione *in* saepe significare locum *iuxta quem* aliquid fiat, non *intra quem*, ut est apud Propertium I, 3, 6 *qualis in herboso concidit Apidano* et I, 14, 1 *tu licet abiectus Tiberina molliter unda Lesbia Mentoreo vina bibas opere.* Cf. eiusd. I, 1, 11; 2, 11. Contrario modo apud auctores haud paucos, maxime deteriores, occurrere *ad* vel *apud* posita pro *in* et ablativo loci, qui usus dicendi ex Latina in Romanicas defluxit linguas, satis est notum.

Epist. I, 2, 51 — 53:

qui cupit aut metuit, iuvat illum sic domus et res,
ut lippum pictae tabulae, fomenta podagrum,
auriculas citharae collecta sorde dolentes.

Sensus horum verborum non alius esse potest quam hic: qui cupidine aut metu tenetur, ei res natura ipsa ad iuvandos nos destinatae tam erunt inutiles quam membris languentibus ea quae inserviunt oblectandis sanis. Hinc apparet parum recte *fomenta* pedum memorari, quippe quae non pedibus tantum, sed toti corpori, ad depellendum frigus vel torporem, soleant adhiberi. Itaque egregio invento Buhierius, homo Francogallicus, substituit *tomenta*, quae quam maxime iucunda esse et apta in lectulo recubantibus nemo nescit. Apparet autem, quam facile potuerit abire rarius vocabulum in usitatius. Praeterea ibidem pro *podagram*, quod in plerisque omnibus est libris, reponendum *podagrum* cum Bentleio. Ubi etiam vocabulum minus obvium a librariis magis vulgato mutatum esse apparet.

I, 6, 5 — 8:

quid censes munera terrae?
quid maris extremos Arabas ditantis et Indos
ludicra? quid plausus et amici dona Quiritis?
quo spectanda modo, quo sensu credis et ore?

Versu 7 recte videntur rem instituisse, qui illud *ludicra*, quo significaretur idem quod francogallico sermone dicitur *les bijoux*, iunxerunt cum praecedentibus, sicut et Madvigio visum advers. crit. II, 62. Nam *ludicra* si idem sit ac *res nullius momenti*, *quisquiliae*, neque responsi instar potest esse et minus etiam trahi ad sequentia, quoniam ita id quod responso debebat servari, infertur interrogationi. Versum autem octavum nihil nisi nugas continere plane assentior Nauckio. Adiectus est sine dubio ab eo, qui elegantissimum illud *quid censes* crederet egere paraphrasi.

I, 7, 1 — 5:

quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem totum mendax desideror. Atqui
[si me vivere vis sanum recteque valentem,]
quam mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,
Maecenas, veniam.

Etiam hic versum qui est septimus alienum ab Horatio persuasit Nauckius. Nimis quippe timidi et

abiecti esset animi Horatius, si metu futuri morbi adversam valetudinem contracturum se esse diceret. Neque aliud fere continet versus tertius quam sequentis (ubi *timenti* noto usu dicendi haud ita multum distat a *nolenti*) explicationem, conflatam ex ep. I, 16, 21, 22:

si te populus sanum recteque valentem
dictitet.

ibid. 22 — 24:

vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus,
nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis.
[dignum praestabo me etiam pro laude merentis.]

V. 24 idem seclusit Nauckius, (ut et proximos duos de quibus statim dicturus sum), cui equidem tam diu credidi obtemperandum, donec demonstratum esset a criticis et sensui et latinitati convenire verba ista. Apparet autem interpolatorem verbum *dignis* v. 22 aliter accepisse, quam voluit Horatius, qui eo non indicat *moribus praestantem*, sed *egentem opis alienae*. Nam ita nisi explicas, ineptissime adiectum videbitur *tamen*.

ibid. 37 — 39:

saepe verecundum laudasti, rexque paterque:
[audisti coram, nec verbo parcius absens:]
inspice, si possum donata reponere laetus.

Interpolatorem hic tenemus in aperta deprensum fraude, qui, ut sensum Horatii parum perspexit, ita ipsa verba accepit secus. Horatius, quia liberius verba fecerat ad Maecenatem, ad depellendum impudentiae crimen ait modestiam suam saepe ab ipso amico esse

laudatam; quam quo plenius approbet, eum honorificentissimis nominibus, quibus Iuppiter ipse solet compellari (cf. Sat. II, 1, 42) et regem autumat et patrem. Adicit tamen se ut hominem libertatis amantissimum posse quovis tempore beneficia amici, si eis gravetur, reddere, id quod facetissime persequitur prolato exemplo Homerico. Apertum est igitur priore *que* non incohari alium sensum, sed et hoc et sequens vocativis *rex*, *pater* esse apposita ad iungendos eos artius ut plurimum apud poëtas omnes. At interpolator, qui crederet vocabulo *rexque* alium iam sensum incipi et verbum utique oportere addi nec consideraret ab Horatio modesti potius quam grati ac sinceri animi significationem hic esse propositam, importunissime adiecit illa *audisti coram nec verbo parcius absens*. Nimirum Horatius debuit gloriari, quod in laudatione duobus verbis eisque formulae in modum iunctis constante ne unum quidem verbum subtraxit absenti Maecenati!

ibid. 77 — 81:

inpositus mannis arvum caelumque Sabinum
non cessat laudare. Videt ridetque Philippus;
[et sibi dum requiem, dum risus undique quaerit,]
dum septem donat sestertia, mutua septem
promittit, persuadet uti mercetur agellum.

Manifestum est satis inconcinne v. 79 iungi cum sequentibus, quae potius in apodosi quam in protasi erant collocanda. Accedit parum convenienter positum *requiem*, ut mittam *risus* vocabulum importune adiectum, cum proximo versu praecesserit illud *videt*. Itaque tutius visum est secludi versum istum auctore,

ut memoravi, Nauckio, qui in sequente volebat *tum* reponi pro *dum*. Quod mihi quidem secus videtur, cum potius persuasum habeam, asyndeton huius versus sane quam elegans et orationi vividissimae aptum praebuisse causam adiciendi hexametrum praecedentem.

I, 10, 3 — 5:

at cetera paene gemelli
fraternis animis [quidquid negat alter, et alter,
adnuimus pariter] vetuli notique columbi.

Verba uncis inclusa expedire cum nemo dum valuerit (nam ineptissime dicitur illud *adnuimus pariter*), Hietzigium, vel potius Nauckium nostrum, secuti damnavimus. Interpolatori haud dubie noxae fuit omissum ante *vetuli «ut»*, quod tamen haud raro a comparatione abesse sciunt plerique. Ita Horatius alibi noto exemplo *qui recte vivendi prorogat horam, rusticus exspectat dum defluat amnis*. Cf. et Peerlcampii not. ad epod. 1, 34.

ib. 39 — 41:

sic qui pauperiem veritus potiore metallis
libertate caret, dominum vehit inprobus atque
serviet aeternum, quia parvo nesciet uti.

Futuro *nesciet* pro quo quidam codices habent *nesciat* post praemissa praesentia *caret*, *vehit* (sic enim rectissime Bentleius cum parte codicum, alii *vehet*) nullum habet locum. Contra recte dicitur II, 3, 34: *quia ponere totum nesciet*, ut apparet ex praecedentibus. Videtur, antiquitus cum scriptum fuisset *nescius*, *us* sequente *u* esse haustum. Omissum est verbum substantivum ut Sat. I, 6, 52, 53: *felicem dicere non*

hoc me possim, casu quod te sortitus amicum; ibid. 7, 8: *cum referre negas, quali sit quisque parente natus, dum ingenuus*, nec minus alibi. Ceterum *nescius uti* etiam in fine versus legitur Sat. II, 3, 109.

I, 11, 17 — 20:

incolumi Rhodos et Mytilene pulchra facit, quod
paenula solstitio, [campestre nivalibus auris,
per brumam Tiberis,] Sextili mense caminus.
dum licet ac voltum servat Fortuna benignum,
Romae laudetur Samos et Chios et Rhodos absens.

Verba uncis circumdata aliena esse ab Horatii sententia facile nobis persuasit Nauckius. Nempe cum Horatius aperte dicat, siquis et corpore et animo sit integro, non opus esse ei recessu Graeco aut Asiatico, recte quidem in exemplum similis abundantiae accersuntur *paenula* aut *caminus* calidissimo anni tempore adhibita, sufficientibus quippe in usus humanos omnino vaporibus solis. Sed perversissima est adiecta *campestris velamenti* et *lavationis Tiberinae* memoria, cum appareat non ad depellenda frigora sed ad augenda facere ista, quibus adeo hiemis tempore nemo unquam sanus possit uti. Itaque etiam haec ab interpolatore adiecta esse apparet, qui inficeto prorsus commento rerum ad aestatis usum inutiliter adhibitarum mentioni voluerit addere eam, quae ad hiemis spectaret necessitatem.

I, 16, 52, 53:

oderunt peccare boni virtutis amore:
tu nihil admittes in te formidine poenae.

Neque *admittes* futurum aptum esse apparet, neque quae sequuntur *in te*, cum potius dicendum fuerit *in*

leges. Itaque lenissima usus mutatione scripsi *admittis notae;* ut legitur c. III, 11, 25, 26: *audiat Lyde scelus atque notas virginum poenas.* Ubi *notae* vocabulum corruptum est in ea, quae sunt *in te*, a correctoribus venit *admittes*, ut Sat. II, 3, 1 *scribes* pro *scribis.*

I, 19, 45 — 49:

ad haec ego naribus uti
formido et, luctantis acuto ne secer ungui,
«displicet iste locus» clamo et diludia posco.
[ludus enim genuit trepidum certamen et iram,
ira truces inimicitias et funebre bellum.]

Queritur Horatius de importunitate eorum, qui carmina ipsius, antequam in publicum ederentur, ab ipso vellent audire recitata. Quorum cavillationibus respondet versibus, quos apposui.

Ad *diludia* in scholiis, quae feruntur sub Acronis nomine, notata sunt haec: *diludia dicuntur tempora, quae gladiatoribus conceduntur, ut inter dies quinque pugnent.* Haec cur recte testari scholiastam negemus, nulla certe apparet causa, nec magis cur Horatius nulla usus comparatione recitandi publice munus, quod sibi taediosissimum esse supra indicarat, hoc loco ludi nomine significarit. Sed ut fecerit, tamen ineptissime adiecti leguntur versus duo ultimi, quoniam antea demonstrarat Horatius ea ipsa re offensiones et rixas sibi oriri, quod non soleat carmina sua advocatis a-n ditoribus legere. Igitur quanquam scio aegre admodum laturos scholasticos, quod damnarim hos versus, qui adeo in proverbium et communem usum abierunt, tamen, donec levarentur crimina modo prolata, monente Nauckio semovi a ceteris. Nihil enim videbantur continere quam falsam vocabuli, quod est *diludia*, explicationem.

II, 1, 90, 91:

quod si tam Graecis novitas invisa fuisset
quam nobis, quid nunc esset vetus?

Sicut versu 28 huius carminis rectissime a Bentleio repositum est *Graiorum*, quod praeter alios quosdam codices bonos praebet Blandinius antiquissimus, ita etiam hoc loco vel sine testimoniis librorum cum eodem Bentleio scribendum fuit *Graiis*, vel potius *Grais* pro *Graecis*, non tam ideo, quod sequitur versu 93 *Graecia*, quam quod malunt poëtae latini in oratione graviore magisque remota ab usu quotidiano omnino *Graios* dicere quam *Graecos*, excepto ubi indicatur contemptus ut carminum III, 24, 57.

ib. 139 — 144:

agricolae prisci, fortes parvoque beati,
condita post frumenta levantes tempore festo
corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem,
cum sociis operum, pueris et coniuge fida,
tellurem porca, Silvanum lacte piabant,
floribus et vino Genium memorem brevis aevi.

Pridem mihi dixerat Nauckius versum 141 sibi videri spurium, cum et exiliter admodum legerentur addita illa *spe finis dura ferentem*, quae de quovis, qui labores subiret, perinde dici posse appareret, neque unquam inveniretur additum ad formulae illius *corpus et animus* partem secundam pronomen *ipse*, quod cur hoc loco adiceretur nullam prorsus fuisse causam. Apparet tamen dempto hoc versu verbum *levantes* carere obiecto suo, unde prona oritur suspi-

cio, latere in eo corruptelam, qua ipsa sit effectum, ut proxima assuerentur Horatianis. Et videor mihi invenisse id, quod scripserat Horatius, reponendo *euantes* vel potius *euhantes*. Etenim, id quod ipsum advertit Porphyrionem, ne potuit quidem Bacchi omitti prorsus mentio, cum praesertim constet vindemiae potissimum tempore per vinalia rustica exsultasse agricolas Romanos eo modo, quem Horatius indicat, sicut et Vergilius testatur notissimo Georgicorum loco (II, 385—392). Potuit etiam poni sed minore mutandi probabilitate *Euhanis*.

Horatius postquam poësis latinae maxime dramaticae initia exposuit, eandem in peius conversam et ob id lege cohibitam ita descripsisse creditur, ibid. 150—155:

doluere cruento
dente lacessiti, fuit intactis quoque cura
condicione super communi, quin etiam lex
poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam
describi; vertere modum formidine fustis
ad bene dicendum delectandumque redacti.

In his *malum carmen* dictum pro *maledico* ut Sat. II, 1, 82. Et cetera quidem plana sunt et expedita. Sed Horatium serio dicere potuisse eos, qui Fescennina agerent, metu verberum adactos, ut non iam male dicerent hominibus sed bene, equidem nunquam concedam. Neque enim carminibus istis umquam laudationes hominum Romanorum sunt prolatae, sed longe alia eorum fuisse argumenta constat inter omnes. Quod si statuetur *bene* positum esse pro *eleganter*, nihilo melius se habebit sententia. Quid enim? Num carmina, quia sunt maledica, sua elegantia destituta esse dicentur?

Ac ne hoc quidem poterit contendi, talia scripta non facere ad delectandos homines, exceptis nimirum

eis, qui laesi sunt istis. Itaque cum probabilitate statuit Nauckius versum ultimum adiectum ab interpolatore, qui crederet brevicula illa sed elegantissima *vertere modum formidine fustis* sua indigere explicatione. Et videtur fuisse monachus, qui *bene dicendi* verbum plane eodem modo adhiberet, quo solent adhibere scriptores christiani.

II, 2, 70:

intervalla vides humane commoda.

Pridem est intellectum *humane* adverbium omni carere sensu; pro quo cum alii alia excogitassent, egregio usus commento reposuit Froelichius *haud sane*, quanquam minore paullo mutatione poterat scribi *hau sane*. De forma *hau* post ea, quae disseruit Ritschelius opusc. philol. II, 591 sqq., dicere iam non attinet. Legit eam apud Horatium Porphyrio Sat. II, 1, 39; quae, si antiquiores, quam quibus utimur, exstarent codices Horatiani, haud dubie pluribus locis inveniretur.

II, 3, 65:

regis opus, sterilisve palus diu aptaque remis.

Obsecutus Gesnero recepi illa *palus diu* pro traditis *diu palus*, ne nimis foedo vitio Horatii carmina depravarentur. Sed tamen maius latere mendum suspicor consideratis exemplis hiatus quotquot apud Horatium inveniuntur, quae congesta sunt a me praef. ed. stereot. pgg. 62, 63.

Ibid. 89—98:

versibus exponi tragicis res comica non vult;
indignatur item privatis ac prope socco
dignis carminibus narrari cena Thyestae
singula quaeque locum teneant sortita decentem.
interdum tamen et vocem comoedia tollit,

iratusque Chremes tumido delitigat ore;
et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
Telephus et Peleus, cum pauper et exul uterque
proicit ampullas et sesquipedalia verba,
si curat cor spectantis tetigisse querella.

Apparet Horatii sententiam hanc esse, ut dicat et in comoedia comicum et tragicum in tragoedia omnino colorem debere servare orationis, deinde ut admittat exceptiones quasdam. Unde certissimum est versum 92 debere collocari post 98, quoniam apertissime ad exceptiones istas pertinet. Neque *tamen* particula versu 93 habet locum nisi traiectione ista instituta.

Haec erant potissimum, quae in recenti Horatii carminum editione ducerem praemonenda; quae quantulacunque sunt, documento tamen futura spero doctis maluisse me difficultates, quibus etiam nunc abundant Horatii scripta, in quantum editionis novae permittebant rationes, indicare utcunque ac levare quam dissimulare aut obscurare. Quod si ne Bentleius quidem, criticus longe sagacissimus, omnia in Horatio expedivit commentariis amplissimis, facile excusabitur iudicibus aequis, quod breviculis annotationibus istis, quibus et hanc editionem et eam, quae publicata est ante quattuor annos, instruximus, non messis quaedam, ut ita dicam, sed quasi spicilegium observationum ad emendanda vel explicanda Horatii scripta pertinentium proponitur.

(Tiré du Bulletin, T. XIX, pag. 400—421.)

Imprimé par ordre de l'Académie Impériale des sciences.
Février 1874. C. Vessélofski, Secrétaire perpétuel.

Imprimerie de l'Académie Impériale des sciences.
(Vass.-Ostr., 9e ligne, № 12.)